

situs sit, ut viderentur perdidisse, ne aut ipsi periclitarentur aut reo nocere non possent.

Quin ab hoc ignotissimo Fryge nobilissimum § 40.
civem vindicetis.

5 Utrumque vehementer et ad deprimendum adversarium et ad extollendum reum, ut tantum in illo obscurata sit quantum in hoc inlustrata persona.

Homini enim Frygi, qui arborem numquam § 41.
vidisset, fiscinam ficorum obiecisti.

10 ...valde. Summa cum festivitate discussit inridens veneni criminationem, quod hic videretur unus de numero accusatorum Flacci repentina morte defunctus. . . . interposita est aviditatis et intemperantiae barbari hominis, quem poma inusitata distenderint. Notemus igitur quasdam criminationes non
15 pugnaci argumentatione, sed etiam festiva urbanitate dissolvi.

Flacco vero quid profuit? qui valuit tam diu, dum huc prodiret, mortuus est aculeo iam emisso ac dicto testimonio.

Leve putavit orator diligentissimus hanc suspicionem
20 veneficii sola urbanitate discutere; conclusit etiam breviter argumentatione validissima nullum Flacco emolumentum fuisse in eius interitu, qui iam testimonium dixerat et vim criminationis ediderat. Unam autem occidendi fuisse rationem, antequam testimonium diceret, dicto autem iam testimonio
25 magis potuisse crimen augeri quam periculum declinari.

Totoque Mithridatico crimine.

Eleganter et oratorio stomacho: *Mithridatico crimine* quasi Mithridatico bello. Id autem crimen significat, quod Mithridates ille Pergamenus intenderat.

30 Et qui ita sit ambitiosus, ut omnis vos nos- § 42.
<que> cotidie persalutet.